



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avgvstini Barbosæ I. V. D. Lvsitani, Protonotarii, Et
Ivdicis Apostolici designati pro Tribunali Nunciaturæ
Hispaniæ, ac insignis Ecclesiæ Vimaransenis Thesaurarij
Maioris, Collectanea Doctorvm, Qui ...**

Barbosa, Agostinho

Venetiis, 1643

Cap. 1. De officio Prælatorum in subditorum correctione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14108

- d. disp. 4. quest. 7. puncto 2. à num. 1. Ego ipse d. cap. 20. num. 18. Trullench d. cap. 5. dub. 2. num. 2. cum seqq.
13. Ibi, saltem in Paschate. Hoc est, in hebdomada sancta, vel infra octavam Paschæ, hoc est à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis inclusiue, & ubi laxior esset consuetudo à prima die Quadragesimæ vsque ad dictam Dominicam in Albis inclusiue, prout obseruatur Mediolani, in Portugalia, & Valentia. Vide Trullench d. lib. 3. c. 5. dub. 2. num. 6. Quarant. in summa Bullarj, verb. Communio, ubi refert hac de re declarationem Eugenij I V. AZOR. institut. moral. par. 1. verb. Eucharistia, §. 7. Fagundez in quinque Ecclesie præcept. 3. lib. 1. cap. 3. per tot. & præcept. 3. lib. 1. cap. 5. Henric. in summa lib. 8. cap. 5. §. 1. à principio, ubi refert, quod in pluribus diocesisbus consuetudo se extendit à principio Quadragesimæ vsque ad decimumquartum diem post Pascha, refero dicto c. 20. num. 14.
14. Sacerdotem Regularem non posse tempore Paschali ministrare Eucharistiam secularibus, vt adimpleant præceptum Ecclesiasticum annuæ Communionis, resoluunt Nugn. tom. 1. in 3. part. quest. 83. artic. 4. conclus. 5. Soar. de Relig. tom. 4. tract. 10. lib. 9. cap. 3. num. 8. Portel. in dub. regularibus tom. 1. verb. Sacramentorum administratio, num. 5. Vilalob. in summa part. 1. tract. 7. dub. 47. num. 4. latè Trullench in decalog. lib. 3. c. 5. dub. 2. num. 8. ubi subdit quòd Doctores id intelligant de die Paschatis non materialiter, sed formaliter, id est, de Communione Paschali per quam fit satis præcepto, & inclinare in hanc partem videtur Fagundez in quinque Ecclesie præcepta, præcept. 3. lib. 1. cap. 5. num. 16. Contra Sorb. in compendio priuileg. verb. Communicare, Fr. Emman. quest. regul. tom. 1. quest. 56. art. 3. Ludouic. Beia respons. casuum conscient. part. 4. casu 4. Ioan. de la Cruz. de statu relig. lib. 2. cap. 5. dub. 4. conclus. 3. existimantes posse per priuilegia Nicolai V. Pauli III. Pij I V. & aliorum Pontificum.
15. Fratres Religiosos non posse administrare populo

sanctissimam Eucharistiam die Paschatis, stante quòd in priuilegio Eugenij I V. hoc illis inter dicitur expressè pro illa die, resoluunt Nauarr. in man. cap. 21. num. 52. Henric. d. lib. 8. cap. 55. §. 1. AZOR. instit. moral. part. 1. lib. 7. cap. 41. quest. 7. Ego ipse de officio. & potest. Parochi cap. 20. num. 10. ubi refero ita decum in S. Congreg. Concil. sub die 2. Martij 1619.

Contra compendium priuilegiorum Societatis I E S V verb. Eucharistia §. 2. Emman. Sa in aphorismis verb. Eucharistia num. 10. Ludouic. Miranda in manuali Pralator. tom. 1. quest. 42. art. 2. conclus. 2. Fr. Emman. quest. regul. tom. 1. quest. 56. art. 3. Aegid. de ConincK quest. 82. art. 3. num. 31. Ioan. à Cruce de statu Relig. lib. 3. cap. 5. dub. 4. conclus. 2. Soar. tom. 2. de Relig. tract. 10. lib. 9. c. 3. num. 7. Tamburin. de iure Abbatum tom. 2. disput. 5. quest. 3. num. 3. Fagundez in quinque Ecclesie præcepta, præcept. 3. lib. 3. c. 2. num. 18. Hieron. Koderic. in compendio quest. regul. resolut. 127. num. 5. Ioan. de Lugo de Sacrament. tom. 1. tract. de Eucharistia disput. 13. sect. 2. à num. 50. & alios existimantes Religiosos sine Parochi licentia posse ipso die Resurrectionis Dominicæ sacram Eucharistiam ministrare parochianis, ijs vide licet, qui existimantur parochia fausfecisse, vel postea fausfacturi.

¶ CANON X.] Vide Vgolin. de officio Episcopi cap. 16. §. 7. num. 9 quem refero de officio, & potest. Parochi cap. 20. num. 24.

¶ CANON XI.] Vide Sot. in 4. disp. 12. quest. 5. art. 4. col. 14. Can. de locis Theolog. lib. 3. col. 189. ad fin. cum seqq. Aegid. de ConincK de Sacrament. tom. 1. q. 80. n. 5. cum seqq. AZOR. institut. moral. p. 1. lib. 10. cap. 31. quest. 2. Soar. tom. 3. de Sacrament. disput. 66. sect. 3. vers. sed quæres, Valer. Reginald. in praxi fori penitent. lib. 20. num. 53. Fernandez in exarmino Theologie moralis part. 3. cap. 4. §. 8. Filluc. in quest. moralibus tom. 1. tract. 4. n. 210. Mollæ. in summa Theologia moralis tract. 3. c. 10. n. 21. Torreblanca de iure spirit. lib. 2. c. 7. n. 46. cum seqq. Ioan. de Lugo de Sacrament. in tract. de Eucharistia disput. 14. sect. 4. num. 54. cum seqq. Ioan. Sancti. in selectis disput. 32. num. 4.

DE REFORMATIONE.

De Officio Pralatorum in subditorum correctiõne.

C A P V T P R I M V M.

- 1 Doctores referuntur de materia huius cap. agentes.
- 2 Episcopi se pastores, non percussores esse meminerint.
- 3 In criminalibus causis quando procedi possit ad vltiora, non obstantibus appellationibus, & inhibitionibus.
- 4 Episcopus visitans tenetur dare transumptum si repererit aliquod delictum carceratione, vel castigatione dignum.
- 5 Appellatio non datur à visitatione facta ab Episcopo, præsertim à correctione morum.
- 6 Appellatio ad effectum suspensiuum non datur à mandato de residendo in visitatione edito.
- 7 Appellatio ad effectum suspensiuum non admittitur à visitatione Ecclesie Cathedralis.
- 8 Non extenditur ad causas criminales, quæ tractantur apud iudices inferiores, aut delegatos Papæ, vel Episcopi.
- 9 Appellari an possit quando grauamen illatum per interlocutoriam, non potest tolli per appellationem à definitiua.
- 10 Carcerationis indebite grauamen, per appellationem à definitiua reparari non potest.
- 11 Appellatio interposita super condemnatione ad trimes habet effectum suspensiuum.
- 12 Appellatio à priuatione beneficij habet effectum suspensiuum.
- 13 Decretum S. Congregationis negotijs Episcoporum præpositæ.
- 14 Metropolitanani in suffraganeos eorum, & subditos non iudicant nisi in casibus à iure expressis.
- 15 Metropolitanani, & alij superiores causas in curijs Ordinariorum pendentes non auocant.
- 16 Appellationes quando recipiendæ.
- 17 Superiores cognoscere non valent causas, quæ coram inferioribus pendunt ante definitiuam sententiam, vel vim definitiuæ habentem.
- 18 Inhibitiones post appellationem quando concedendæ.
- 19 Appellatio recipienda non erit quamuis appellans asserat sententiæ, aut appellationis exemplum culpa iudicis à quo, vel actuarij habere non posse.
- 20 Appellationes à Metropolitanis non recipiuntur ab executione decreti Concilij Trident. aut visitationis Apost..
- 21 Appellationes ad effectum deuolutiuum tantum admittuntur in causis visitationis Ordinariorum, aut correctionis morum.
- 22 Appellatio non admittitur à grauamine, quod per

- definitiuam reparari nequit, nisi visis actis.
- 23 *Causa appellationis dum pendet, appellans in eodem quo reperitur carcere quanto tempore permanebit.*
- 24 *Acta originalia processuum prima instantia ad iudicem appellationis Notarius mittere non cogatur, nisi, &c.*
- 25 *Censura Ecclesiastica in appellante prolata quando relaxari possit per iudicem appellationis.*
- 26 *Absolutio ad cautelam quomodo danda.*
- 27 *Appellatio non recipitur à sententia definitiva contra verum contumacem prolata.*
- 28 *Archiepiscopus non debet se ingerere in prima instantia causarum, quæ agitantur coram eius suffraganeo.*
- 29 *Metropolitanus non potest cognoscere in prima instantia etiam citra preiudicium cursus causæ coram Episcopo.*

E Adem sacrosancta Tridentina Synodus præsentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nuncijs, intendens nonnulla statuere, quæ ad iurisdictionem pertinent Episcoporum, vt iuxta proximæ Sessionis decretum, illi in commissis sibi Ecclesijs eo libentius resideant, quo facilius, & commodius sibi subiectos regere, & in vita, ac morum honestate continere poterint, illud primum eos admonendos censet, ^a *vt se pastores, non percussores, esse meminerint*, atque ita præesse sibi subditis oportere, vt non in eis dominantur, sed illos, tanquam filios, & fratres, diligant, elaborentque, vt hortando, & mouendo ab illicitis deterreant, ne, vbi deliquerint, debitis eos pœnæ coercere cogantur, quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, ^b illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia, cum sæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quàm austeritas, plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm potestas. Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est, vt sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conferuetur, & qui correcti fuerint, emendentur, aut, si respicere noluerint, ceteri, salubri in eos animaduersionis exemplo, à vitijs deterreantur, cum sic diligentis, & pij simul pastoris officium, morbis ouium leuia primum adhibere somenta, post, vbi morbi grauitas ita postulet, ^c ad acriora, & grauiora remedia descendere: sin autem ne ea quidem proficiant illis submouendis, ceteras saltem oues à contagionis periculo liberare. ^d *Cum igitur rei criminum*, plerumque ad euitandas pœnas, & Episcoporum subterfugienda iudicia, querelas & grauamina simulent, & appellationis diffugio, ^e *iudicis processum impediunt*, ne remedio ad innocentie præsidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque vt huiusmodi eorum calliditati, & tergiuersationi occurratur, ita statuit, & decreuit. ^f *In causis visitationis, & correctionis siue habitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus ab Episcopo*, seu illius in spiritualibus Vicario generali, ante definitiuam sententiam, ^g *ab interlocutoria, vel alio quocunque grauamine, non appelletur, nec Episcopus, seu Vicarius, appellations huiusmodi, tanquam friuolæ, deferre teneatur, sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellations iudice emanata, necnon omni stylo, & consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad vltiora valeat procedere, nisi grauamen huiusmodi per definitiuam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiuam appellari non possit, quibus casibus factorum, & antiquorum canonum statuta illibata persistant.*

^a Tir. 1.
7. Tim. 3.
1. Pet. 5.
diffin. 45. in
prin. diff. 94.
cap. vlt. diff.
95. cap. esto
subiectus.
6. 2. Tit. 4.

^b Cap. refo-
canda, & cap.
corripitur.
24. quæst. 3.
4. Cap. cum
speciali, 6.
Petro. de
elect.
^c Infra sess.
22. cap. 10. &
24. cap. 20.
de reformat.

^f Cap. vt de-
bitus, de ap-
pel. cum sim.

1. **V** Ide Paul. Fusc. *de visitat. lib. 2. cap. 26. num. 29. in fine*, Sbroz. *de officio Vicarij lib. 3. quæst. 1. Fr. Emman. quæst. regul. tom. 2. quæst. 40. art. 1. Aloyf. Ricc. in praxi rerum fori Eccles. decis. 503. in 1. edit. alijs resol. 404. in 2. edit. Armen- dar. in addit. ad recop. legum Nauar. lib. 1. tit. 6. de visitat. num. 63. vbi refert decum post definitiuam sententiam in causis correctionis, & visitationis appellari posse, ita tamen vt appellatio non suspendat executionem, nisi grauamen per definitiuam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiuam appellari non possit.*
2. ^a *Vt se pastores, non percussores esse meminerint.* Vide S. Anton. in summ. p. 3. tit. 20. cap. 5. §. 3. Cornel. conf. 296. circa princip. vol. 4. Fusc. *de visitat. lib. 1. c. 3. num. 19. metipsum de officio & potest. Episcopi part. 1. tit. 2. gl. 12.* Episcopi summa attentione persendant textum in præsent. *& infra sess. 24. de reformat. cap. 3. & sess. 25. etiam de reformat. cap. 1. in quibus decretis verba sunt multum pia, & à Prælati mente semper retineri debent, quorum summam refert Stephan. VVeyms ad constitutiones 24. ex iure antiquo deprom- ptas. & per Concil. Trident. innouatas, constit. 20. nu. 8 pag. 239.*
- ^b *Cum igitur rei criminum, &c.* In criminalibus causis
3. quando procedi ad vltiora possit, non obstantibus appellacionibus, & inhibitionibus, declarauit sancta mem. Pius V. in sua constitut. 180. incip. *Cum sicut*, quæ est reformatoria constitutionum Pij IV. & aliorum summorum Pontif. sic distingendo: Aut reus confessus est, & tunc licitum erit iudici à quo, non obstantibus appellacionibus, & inhibitionibus, absque pœnaru incurfu ad vltiorem executionem pro pœnæ in sententia, irrogatæ executione procedere. Si verò non

sit confessus, tunc poterint admitti, & recipi omnes, & singulæ appellaciones, ac quæcunque desuper pro tempore præsentate, & præsentandæ commissiones, & illarum vigore inhibitiones, citationes, & monitoria decerni, præstita tamen prius cautione idonea per partem, seu partes appellantes non confosidens in forma depositi pro pœna in qua condemnatus extitit, & seu respectu de se constituendo in carcere, & ibidem manendo in quacunque parte iudicij, & quatenus pars esset diues, facto prius actuali deposito arbitrio iudicis ad quem. Quod quidem hodie in praxi obseruatur, molexit enim stylus Signaturæ iustitiæ, vt quocumque contingit committi causam appellacionis in criminalibus, semper apponatur clausula, *pario sententiæ, vel seruato exitio*, & forma Motus proprij Pij V. & Pij VI. Ita Massob. *de Synodo diocesana cap. 4. Anbr. 21. secundum Roman. impressionem.* ^e *Iudicis processum impediunt.* An Episcopus visitans teneatur dare transumptum si repererit aliquod delictum carceratione, vel castigatione dignum? Affirmatiuè decum fuisse refert Armen. *in addit. ad recop. legum Nauar. lib. 1. tit. 6. de visitat. num. 62.*

^f *In causis visitationis, &c.* A visitatione facta ab Episcopo, præsertim à correctione morum, non dari appellacionem, per text. in præsent. *& cap. 10. sess. 24. de reformat. resoluunt Lancellot. de attentat. & innou. appellat. pend. li- mit. 18. in prin. num. 6. Ruginel. de appellat. §. 2. cap. 3. num. 46. Marchef. de commission. part. 1. de commiss. appellat. extra Roman. cur. cap. 6. num. 78. in 2. edit. quos refert Aloyf. Ricc. in praxi aurea resolut. 7. num. 1. vbi numeris seqq. multa tradit de intellectu huius text. Nauar. in rubr. de iudic. notab. num. 83.*

num. 83. & conf. 1. de appellat. Gabr. Pereira de Manis Regia. part. 1. cap. 7. à priv. Thom. Valasc. alleg. iuris tom. 1. alleg. 70. num. 4. Mar. Anton. var. resolut. lib. 1. resolut. 95. num. 11. & resolut. 110. num. 14. Steph. VVeyms ad constitutiones 24. ex iure antiquo desumptas, & per Concil. Trident. innovatas, constit. 17. num. 14. pag. 195. vbi num. 15. aduertit vt dum appellatur à decreto visitationis, admitti non debeat appellatio nisi specificè expressè fuerint causæ grauaminu, vt dispicere possit visitator à quo appellatio interponitur, an causæ sint friuolæ, an iustæ, an suspèdere, vel mutare debeat suum decretu, an verò prouisionaliter exequi. Narbona l. 59. gloss. 1. num. 119. tit. 4. lib. 2. Recop. vbi refert de casum quod in causis visitationis, & correctionis appellari potest post definitiuam, ita tamen vt appellatio non suspendat executionem. Si tamen Episcopus procedat in exemptos, seu alios priuilegiatos contra eorum priuilegia, dam appellacionem existimant Salgado de protecc. Regia part. 2. cap. 15. numer. 58. Berar. de visitat. secul. cap. 27. num. 67. Mendez de Castro in praxi Lusit. p. 2. lib. 2. cap. 3. num. 34. Marchesan. d. cap. 6. num. 78. Vbi enim apparuerit de exemptione, seu priuilegio gesta appellacione pendente reuocatur, Lancellot. de attentat. p. 2. cap. 12. limit. 18. num. 2. & seq.

6. A mandato de residendo in visitatione edito non dari appellacionem ad effectum suspensiuum, sed ad effectum deuolutiuum tantum, decisiu refert Armendar. in addit. ad recop. legum Nauarra lib. 1. tit. 6. lib. 5. §. 2. numer. 2.
7. Appellationem ad effectum suspensiuum non admitti à visitatione Ecclesie Cathedralis, & personarum ipsius ab Episcopo factenda, nec ideo illam appellacione suspendi posse, tenet Aldan. in compendio canon. resol. lib. 1. tit. 4. num. 8. vbi refert decisiu in Oriolan. 27. Martij 1632. ad 6. subdens ibidem in resp. 17. fuisse resolutum appellacionis cuiuscunque prætextu non posse impediri, seu retardari dicecesane Synodi celebrationem.

Si ordine iudiciario & ordinato processu visitationis causæ tractetur, appellatio ad vtrumque effectum admittitur, vt per Stephan. Gratian. Marchia decis. 188. num. 4. Ceual. de cognit. per viam viol. part. 2. q. 123. num. 14. & 15. Piafec. in praxi Episcopi. p. 2. cap. 3. num. 61. vers. hoc eodem casu, Narbona d. l. 59. gloss. 1. num. 122. Mendez de Castro in praxi Lusit. p. 2. cap. 3. num. 34.

8. Necnon in criminalibus ab Episcopo, &c.] Ergo non à iudicibus inferioribus, aut delegatis Papæ, vel Episcopi; ita post Nauarr. in manu. c. 25. num. 15. vers. adde, tradit Fr. Emman. in sum. tom. 3. cap. 20. num. 1. quem refert Hieron. Roder. in compendio q. regul. resol. 10. n. 10. Verum ex dispositione Concilij in omnibus causis appellari non posse ab interlocutorijs tam in prima, quam in secunda instantia, tam ab Ordinarijs, quam à delegatis, vel inferioribus latis, nisi grauamen contineant irreparabile, vel definitiuam vim habeant, resoluit Suar. de Paz in pract. in procum. 6. part. tom. 1. num. 28. Amat. Roder. in pract. examinandi & videndi processum cap. 12. nu. 8. latè ad vtramque partem Narbona l. 59. gloss. 1. nu. 150. cum multis seqq. tit. 4. lib. 2. Recop.

9. [Ab interlocutoria, vel ab alio quocunque grauamine, &c.] An appellari possit quando grauamen illatum per interlocutoriam non potest tolli per appellacionem à definitiuam? vide Soar. de Pace in pract. tom. 2. p. 5. cap. vnic. num. 3. Quarant. in sum. Bullarij. verb. Archiepiscopi auctoritas, au. Hor. 18. vers. primo quæro. Nauarr. conf. 2. de appellat. Aloyf. Ricc. in praxi rerum fori Ecclesie. decis. 105. in 1. edit. alias resol. 405. num. 1. in 2. edit. Piafec. in praxi Episcopi. part. 2. cap. 4. num. 98.

10. Carcerationis indebitæ grauamen per appellacionem à definitiuam reparari non potest, ac prouide ab eo valet appellari, & Ordinarius tenetur huic appellacioni deierre, & processum transferre ad iudicem appellacionis, interim tamen reo manente in carceribus, donec iudex appellacionis causa cognita aliud iusserit, ita refert decisiu Piafec. d. cap. 4. num. 100. Quaranta d. verb. Archiepiscopi auctoritas, num. 20. in addit. lit. B. Et refert Narbona d. l. 59. gloss. 1. num. 120. Sa cram Congr. censuisse quod in materia correctionis vbi Episcopus etiam sine processu, Barbof. Collect. in Concil. Trid.

& sine scriptis carcerat subditos, & tenet diu carceratos, potest Metropolitanus cognoscere de excessu in corrigendo, si carcerati appellauerint ad eum, dummodo interim non impediatur, aut suspendatur executionem eorum, quæ ab Ordinario decreta fuerint, de quo etiam Gabr. Berar. de Visitat. secul. cap. 27. num. 67. Mendez de Castro d. p. 2. lib. 2. cap. 3. num. 33. Vide infra sess. 24. de reform. cap. 20. num. 33.

11. Appellationem interpositam super condemnatione ad tremeas habere effectum suspensiuum, resoluit Aldan. d. tit. 9. num. 9. vbi dicit ita fuisse resolutum à S. Congreg. Episcopi & Regular. in Auersana 22. Ianuarij 1591.

12. Appellationem à priuatione beneficij habere effectum suspensiuum, tenet Aldan. d. tit. 4. num. 10. vbi asserit sic fuisse decisiu in S. Congr. Episcopi & Regular. in Mleuitana 1. Iunij 1604. Nam etiam in causis visitationis, si nõ de morum correctione ageretur, sed de priuatione administrationis, vel beneficij, aut alterius similis rei, appellatio quoad vtrumque effectum admittitur, Ceual. de cogit. per viam violent. p. 2. q. 123. num. 13. Narbona d. l. 59. gloss. 1. num. 122.

13. Hac de re extat optimum decretum omnino videndum, quod refert Aloyf. Ricc. in d. praxi rerum fori Ecclesie. resol. 404. in 2. edit. Prosper de Augustino in addit. ad Quarant. d. verb. Archiepiscopi auctoritas, au. Hor. 18. vers. octauo. Piafec. d. part. 2. cap. 4. nu. 101. Hieron. Roder. in compendio quæst. regular. resol. 10. num. 35. cum seqq. Moden. de potest. Regia part. 2. cap. 1. à num. 247. & de supplicat. ad Sanctissim. part. 2. c. 5. §. 2. num. 4. & 5. tenoris sequentis, videlicet.

Ad tollendas ambiguitates, & controuersias iurisdictionales, quæ inter appellacionem, & prioris instantie iudices non sine partium dispendio, cursuque iustitie impedimento, & sepe cum scandalo oriuntur, S. Congr. causis Episcoporum, preposita, facta prius relatione S. D. N. Urbano VIII. ac de Sanctissimatis sue mandato viue vocis oraculo desuper habito in hunc qui sequitur modum ab omnibus, ad quos spectat, in posterum fieri ac seruari debere mandauit, & mandat.

4. Metropolitanis, Archiepiscopis, Primates, aut Patriarche in Suffraganeos, eorumque subditos non iudicent, nisi in casibus à iure expressis.

15. Item nec alij superiores etiam Nuncios, vel Legati de latere specificam facultatè maiorem non habentes causas in curijs Ordinariorum, vel aliorum inferiorum iudicum pendentes, ad se non auocent, nisi per viam legitime appellacionis ad ipsorum tribunalia deferantur, tuncque appellantes ab inferiorum iurisdictionibus quoad alias causas eximere non possint.

16. Appellationes nunquam recipiantur, nisi per publica documenta, quæ realiter exhibeantur, prius consulerit appellacionem à sententia definitiuam, aut à grauamine, quod per definitiuam sententiam reparari non possit in casibus à iure non prohibitis, per legitimam personam, & intra debita tempora fuisse interpositam ac prosequutam.

17. Nedom causarum, quæ coram inferioribus iudicibus pendente ante definitiuam sententiam, vel vim definitiuæ habentè, de grauamine illato superiores cognoscere valeant, licet citra preiudicium cursus causarum se id facere contulerint. Nec ad hunc effectum liceat eis inibere, aut simpliciter mandare, vt ipsi copia processus transmittatur, etiam expensis appellantis.

18. Inhibitiones post appellacionem sicut premititur receptam non concedantur, nisi cum inscriptione tenoris sententiæ, aut decreti definitiuæ, aut vim definitiuæ habentis, vel damnatum per definitiuam irreparabile contentis, alias inhibitiones, & processus, & inde sequuta quæcumque sint ipso iure nulla, etq; impune nõ parere liceat.

19. Si appellans asserat sententię, aut appellationis exemplum, culpa iudicis a quo, vel actuarij habere non posse, non ideo recipienda erit appellatio, aut aliqua inhibitiō concedenda, sed eis tantum, ad quos pertinet, iniungi poterit ut soluta condigna mercede actorum exemplum authenticum appellanti intra breuem aliquem competentem terminum tradatur. Caveat tamen iudex a quo, nisi verē appellatum fuerit in causa appellabili interim aliquid in preiudicium appellantis attentet, etsi per actū publicum, aut per testium depositiones constiterit acta denegari appellanti, tunc mandato tradendi acta possit iudex appellationes adijcere, ne interim aliquid novi contra appellantem intentetur.
20. Ab executione decreti S. Concilij Trident. aut visitationis Apost. appellationes a Metropolitanis non recipiantur, nec, si Episcopi virtute eiusdem S. Concilij procedunt ut Sedis Apost. delegati in causis, quę sub eorū iurisdictione ordinaria non comprehenduntur, salva tamen in hoc casu Legatorum, & Nunciorum Apostol. auctoritate.
21. In causis verō visitationis Ordinariorum, aut correctionis morū quoad effectum deuolutiuum tantum admittuntur, nisi de grauamine per definitiuam irreparabili agatur, vel cum visitator citata parte, & adhibita causa cognitione iudicialiter procedit, tunc enim appellationi locus erit quoad effectum suspensiuum.
22. Cum a grauamine, quod per definitiuam reparari nequit, ut indebita carcerationis, vel torture, aut excommunicationis etiam comminata, appellatur, non nisi visis actis, ex quibus euidenter appareat de grauamine, appellatio admittatur, aut inhibitiō, vel prouisio aliqua concedatur.
23. Causa appellationis dum pendet, appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, quoad iudex ad quē appellatum est, visis actis, & causa cognita aliter decreuerit, & tunc si a iudicis ad quem decreto dim definitiue habente fuerit appellatum, nihil mandare, aut pro sui decreti executione attentare poterit, donec per iudicem superiorem aliud fuerit ordinatum.
24. Acta originalia processuum primę instantię ad iudicem appellationis Notarius mittere nō cogatur, nisi probabilis aliqua falsitatis causa, & suspicio incidat, quę iudicialiter obijciatur, & tunc terminata causa remittenda sunt ad Ordinarij, ut in suo archiuiō conseruentur.
25. Censura Ecclesiastica in appellante prolata relaxari, aut nulla declarari per iudicem appellationis nō potest, nisi auditis partibus, & causa cognita, tuncque si constiterit eam iustam esse, ad iudicem, qui excommunicauit, appellans remittendus est, ut ab ipso iuxta sacros canones beneficium absolutionis, si humiliter petierit, debitamque emendationem pręstiterit, obtineat. Si verō iniustam esse clare appareat, superior absolutionem impendat: si dubitetur, honestius est ut ad excommunicatorem intra breuem aliquem terminum eidem pręstigendum absoluendus remittatur, licet etiam superior hoc casu id ipsum per se prestare iure possit.
26. Absolutio ad cautelam non nisi parte citata, & visis actis cum dubitatur de nullitate excommunicationis ab homine prolata, vel a iure si concurrat dubium facti, vel probabile dubium iuris, concedenda erit, tuncque ad tempus breue cum reincidentia, & prestata per excommunicatum cautione de stando iuri, & parendo mandatis Ecclesię tantum, etsi iuxta formā a iure prescriptam apparebit quem ob manifestam iniuriam excommunicatum fuisse, debitam etiam satisfactionem prestare, & si ob contumaciam manifestam expensas pariter satisfacere, & cauere de iudicio sibi coram excommunicatore quis tenebitur, priusquam ad cautelam absoluaatur.
27. A sententia definitiua contra verum contumacem prolata appellatio non recipiatur, nec inhibitiō, aut alia queuis prouisio quandiu appellans in huiusmodi vera contumacia persistit.
28. Nec Episcopus, seu Vicarius, &c. Archiepiscopum non debere se ingerere in prima instantia causarum, quę agitantur coram eius suffraganeo, cui inhibendum non est, nec ille tenetur deferre appellationi, nisi in casibus Bullę Gregorij XIII. quę est 24. in Bullario, referuntur decimum Zerol. in praxi Episcop. verb. appellatio, vers. ad decimum, Hieron. Roderic. de resol. 10. num. 21.
29. Metropolitanum non posse cognoscere etiam circa preiudicium curię causę coram Episcopo, neque ad eum effectum etiam absque vlla inhibitione posse simpliciter mandare, ut sibi transmittatur copia processus expensis appellatis extra casus a Concilio concessos appellandi, referunt decimum Quarant. d. auctor. 18. vers. primo quarto, Hieron. Roderic. d. resol. 10. num. 22.

In Criminibus appellationis causa a sententia Episcopi quando Metropolitanano, & quando vni ex vicinioribus sit committenda, eorumve vicarijs, & non inferioribus.

C A P V T II.

- 1 Legati, seu Nuncij non possunt committere causas criminales suis Auditoribus.
- 2 Appellandum est ad Metropolitanum a sententijs Ordinarj in causa criminali procedētis ex decre-

to Concil. etiam tanquā Sedis Apostol. delegatus.

- 3 Appellandum est a Vicario ad Episcopum in causis criminalibus, vel beneficalibus specialiter commissis Vicario.

A Sententia Episcopi, vel ipsius in spiritualibus Vicarij generalis, in criminalibus appellationis causa, vbi appellationi locus fuerit, si Apostolica auctoritate in partibus eam committi contigerit, a Metropolitanano, seu illius etiam Vicario in spiritualibus generali, aut, si ille aliqua de causa suspectus foret, vel vltra duas legales diastas distet, seu ab ipso appellatum fuerit, vni ex vicinioribus Episcopus, seu illorum Vicarijs, non autem inferioribus iudicibus, committatur.

Hunc text. allegat, & illius summam refert Sbroz de officio Vicarij lib. 3. quest. 3. vbi quest. 5. resoluit posse Vicarium Patriarchę, Archiepiscopi, vel Episcopi cognoscere causas appellationū quas deuoluunt ad ipsos.

a Metropolitanano, seu illius etiam Vicario, Legatos, seu Nuncios Apost. non posse committere istas causas suis Auditoribus, ut illas videant tanquam iudices delegati resoluit Aldan, in compendio canonice, resoluit. lib. 3. tit. 8.